

- |    |   |                    |
|----|---|--------------------|
| 17 | τ | Secunda.           |
| 20 | υ | Quinta seu ultima. |

Omnes Venereæ Mercurio attemperatæ.

Φ. *Tropicus Cancri, ἡ τροπὴ, Avieno Pulsus. Salustius, Orion oritur juxta Solis æstivi pulsus. χ. Caput Bootis. ψ. Caput Hr culis. ω. Caput Serpentis.*

Habes candide Lector, ex nostris conatibus, restitutam, aut si mavis exactiori curâ & labore delineatam Coronam, quam alii lauream, quidam martyream, multi radiatam autumant; nos Hederaceam cum corymbis, λευνίσκων δύο κατηρτημένων, substituendam duximus, qualem Græciæ magnæ numismata exhibent, nobisque Capella & Manilius lib. 5. seqq. vers. describunt.

*Hoc quoque Nisi acis quod sparsum floribus ardet,  
Multiplici ambitum redimitur lumine Sertum.*

Tali dono, Bacchus (ut ait qui Cretica conscripsit) Ariadnam conjugem honoratam, Faunis currum stipantibus abduxit, quod apud Guilhelnum de Choul, Neronis numisma testatur, & Propertius:

*Lyncibus in cælum vecta Ariadnatuis.*

Antiquitus nulla nisi Deo dabatur Corona. Plin. *nat. hist. lib. 16. c. 5.* Feruntque primum omnium, Liberum patrem, impossuisse capiti suo, ex hederâ. Hinc Alexander, ob raritatem, victorem exercitum, exemplo Liberi patris, hederâ Coronatum, ex Indiâ reduxit. Auream Coronam ante Homerit tempora Proph. David, talenti pondere, *lib. 2. Reg. c. 12.* usurpavit: alteram, quam publicus minister, eodem curru triumphali vectus, supra Caput Imperatoris tenebat, Juven. *Sat. 10.* decantavit; neutram, ut nec novum regalis diadematis genus, huc quadrare suspicor. Movet quoque nomen